Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

potissimum sermone cognoscere. Super animae statu memini uestre
questiunculae immo maximae ecclesiasticae questionis. utrum
lapsa de celo sit. ut pythagoras philosophus. omnesque platonici.
et origenes putant. an a propria dei substantiae. ut stoici.
manicheus. et hispaniae priscilliani heresis suspicantur. an in thesauro
habeantur dei olim conditae. ut quidam ecclesiastici stulta
persuasione confidunt. an cotidie a deo fiant et mittantur
in corpora. secundum illud quod in euangelio scriptum est. Pater meus
usque modo operatur et ego operor. an certe ex traduce. ut tertullianus
appollonaris. et maxima pars occidentalium autumant. ut
quomodo corpus ex corpore. sic anima nascatur ex anima. et simili
cum brutis animantibus condicione consistat. Super quo quid mihi
uideretur in opusculis contra rufinum olim scripsisse me noui.
aduersus eum libellum quem sanctae memoriae anastasio episcopo roma
ne ecclesiae dedit. in quo lubrica et subdola. immo stulta confes
sione. dum auditorum simplicitati inludere nititur. suae fidei
immo perfidiae inlusit. Quos libros reor sanctum parentem uestrum
habere oceanum. Olim enim editi sunt. multos rufini libris aduersum
nos calumnias respuentes. Certe habes ibi uirum sanctum et eruditum
augustinum episcopum. qui uiua uoce docere te poterit. et suam ut aiunt
immo nostram explicare sententiam. Ezechielis uolumen olim
adgredi uolui. et sponsionem celeberrimam studiosis lectoribus
reddere. sed in ipso dictandi exordio. ita animus meus occiden
talium prouinciarum. et maxime urbis romae uastatione con
fusus est. ut iuxta uulgare prouerbium. proprium quoque ignorarem
uocabulum. Diuque tacui. sciens tempus esse lacrimarum. Hoc
autem anno cum tres explicassem libros. subitus impetus barbarorum
de quibus tuus dicit uirgilius. Lateque uagantes barchei. et sancta
scriptura de hismahel. contra faciem omnium inimicorum tuorum
habitabis. sic egypti limitem. palestinae. fenicis. syriae percucur
rit. ad instar torrentis cuncta secum trahens. ut uix manus